



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

CXVII. Excidium Hierosolymitanum Titum Imp. Rom.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO CXVII.

ET ULTIMA

EXCIDIIUM HIERSOLYMITANUM PER TITUM IMP. R.

Anno Ch. 72. Neronis 12. & 13. Vespasianꝝ Imp. 1.

Ex Josepho lib. 7. de bello Iudaico, & Baronio ad annum Christi 68. 69. 72. 73.

Nullis sat tuta firmamentis urbs illa est, quam inexorabilis DEI vindicis ira premit. In Exordio Narrationum nostrarum bellum memoravimus, quod excitatum in caelo, cives illius Hierosolymæ cœlestis ita inter se collisit, ut innumerable eorum multitudo, qui contra DEUM insurrexere, sit è sedibus ætherijs pulsa, & in imum Tartarum deturbata. Par igitur est, ut quemadmodum è *Carceribus* procurrimus, ita *Metam* contingamus. Quare coronidem huic nostræ scriptioni imponet strages omnium (de quibus ulla historia meminit) luctuosissima, Solymææ Urbis Excisio. Quæ tanta fuit, ut ipsi DEO, ejus cladis prænuntiatori, lacrymas excusserit. Accessit altera causa, cur Narrationibus è veteri divinorum Voluminum historiâ conscriptis, Solymæum excidium annecteremus. Visum est enim, ut, qui Hebræorum res gestas, & utramque fortunam hætenus compendiò profecuti sumus, eorum toties rebellem DEO con-

tumaciam ad exitum, & pro meritis poenas deducere-
remus; quas si unquam aliàs, tum enim verò novis-
simas in devastatione Hierosolymitana dederunt.

Ad vindictam cum Ira Divina procedit, lento
plerumque passu graditur; & minatur, antequam
feriat. Meruerat Ierosolyma ob IESUM, æternum
DEI Filium occisum, ut Sodomæ, Gomorrhæque
in morem, effusis è cœlo picis & sulphuris nimbis
obrueretur. Sed Iustissimum Numen de impijs,
qui sacrilegas in salutis humanæ Assertorem manus
injecere, Romanorum manibus poenas voluit su-
mere, & insanas illas voces: *NON HABEMUS RE-
GEM, NISI CÆSAREM*, Cæsareo milite plectere.
Utque tarditate supplicij spatium daret poenitentia,
prodigia velut prodromos, & monitores imminen-
tis exitij præmisit. Poterat ictum exire, quicumque
vel oculos ad ea signa: vel aures ad eas voces ad-
vertere voluisset.

Principium ostentorum fuit, Cometes terribili-
comarum luce fulgurans, & integrum annum, mina-
cis instar gladij, fatalem urbi mucronem intentans.
Successit alterum. Prima Azymorum, seu Pascha-
tis die, noctu circa templum, tantum effulfit lu-
men, ut dimidiæ horæ spatio claritatem solis refer-
ret. Eademque festâ die cum bos immolanda du-
ceretur, agnum in medio templi peperit. Orien-
talis quoque porta ænea templi interioris, quæ vir-
ginitatis noctem ultrò patefcere. Conspecti deinde per
cœlum currus ferri, & acies armatæ concurrere.
Ipsaque die Pentecostes noctu Sacerdotes templum
ad rem divinam peragendam ingressi, allapsam cum
in-

ingenti strepitu vocem (Angelorum haud dubiè custodum) perceperunt : quæ diceret : *Migremus hinc.* Homo præterea quidam plebejus & rusticus , cui *IEsus* nomen , per annos septem , & totidem menses circumcursans urbem , perpetuò ingeminabat : *Væ , Væ Ierosolymis !* idque etiam cùm à magistratu acriter cœderetur virgis , qui ad diem usque , quò urbs obsideri cœpit , supra mœnia circumiens , cùm tandem clamâset : *Væ etiam mihi !* missus à Romanis tormentò lapis , eum peremit.

Calamitatis suæ causâ , quemadmodum diximus , Judæi fuerunt , Servatorem Mundi dirissimis cruciatibus & ignominijs interficiendo. Initium malis dederunt anno Chr. 68. quando pertæsi Romanorum jugi , dudum gravioris , quàm pati vel possent , autvellent ; multis eorum trucidatis , palàm defecerunt. *Cestius* , qui tum Prætor Syriam administrabat , accurrit è vicino , cum exercitu ad flammam restinguendam ; obsidet Jerosolymam. sed irritò conatu ; recessit inde non sine multorum militum jactura. Id nimirum DEus ordinaverat , tum , ne qui Jerosolymis versabantur Christiani , pari pœna afficerentur cum impijs , sed tempestivè cladi se subducerent. (& constat eos ab oraculo præmonitos , salutem ultra Iordanem quæsijsse.) tum ut Judæi longè sæviora meriti , dignis scelerum pœnis torquerentur.

Nero Imperator Romanus , cognitò *Cestium* ab obsidio Solymæo rejectum , *Vespasiano* multarum palmarum belli duci [qui tum cum Imperatore in provinciam Achaiam comes iverat] dat in mandatis , ut valido cum exercitu in Palæstinam moveat. Is dicto

Et obaudiens, Galilæam, provinciam Iudææ bellicosissimam invadit, domatque: Iudæorum plusquam centum millibus occisis; quadraginta millibus in captivitatem aut abductis, aut venditis. Quo tempore in expugnatione *Iosapathæ* civitatis, captus est Flavius Iosephus, militaris Iudæorum præfectus, Antiquitatum & belli Iudaici scriptor.

Supplicium peccati meritò apud Galilæos cepit; quippe quos maximà reos obstinatio fecit; nam primi omnium DEI hominis cœlestem eloquentiam, prodigiosis factis confirmatam, audierunt, auditamque rejecerunt. Hic igitur exortus belli turbo, deinceps alia atque alia concussit, dejecitque. Terror ingens ex Galilæa clade; & omnibus è locis in urbem Hierosolymam fuga. Recepta, intra mœnia, hominum magis colluvies, quàm urbis præsidium, annonam consumpsit, non hostem. Maxima pestis intra viscera, *Zelotæ* fuere, qui quò speciosiore titulo divinæ legis observantiam præferebant, hoc impotentius in vulgus dominabantur. Seditio erat, non religio. Nam insurgentes in *Ananum*, summum & legitimum sacrorum Iudaicorum Præsidem, ipsi sibi in Pontificem delegerunt hominem quendam, *Phanum* nomine, aratri magis admovendum, quàm aris. Hinc Hierosolyma in duas partes discissa, alijs *Ananum*, alijs *Phanum* sequentibus, tantò infirmis externis hostibus obstitit, quantò debilio rex interno veneno fuit.

Annus agebatur à Christo nato septuagesimus secundus, quò annò, [post Neronem Galbam, Othonem Vitellium] *Vespasianus* delatum à militibus Orbis imperium, ut cunctanter suscepit, ita fortiter gessit.

gessit. Qui dum nutantem, & factionibus discerp-
tam Rempublicam in Italia magnis animis sustinet,
Titum filium in Iudæum mittit ad absolvendum,
quod reliquum erat belli. Iudæi verò, cum
putarent Cæsarem bellis civilibus intentum, curas
externi belli posuisse, securi Patriæ, & Legis suæ, Pa-
schalia solemnia magno peregrinorum confluxu
peragebant. Cum repente apparens Titus, castra
posuit in Oliveti monte, unde Christus olim respi-
ciens urbem, lacrimas, malorum imminentium in-
dices fudit. Communis periculum mali factiosos
conjunxit; vires & arma, simul in Romanos verte-
runt; nec citra hostium cladem. Sed rursus in-
calescentibus intus diffidijs, seditiosi cives inter se
commissi sunt; Zelotæ ad unum omnes, qui in tem-
plum, tanquam in munimentum se receperant, in-
terfecti, crudelitatis suæ poenas solverunt; nam præ-
ter ingentem stragem civium atque Sacerdotum fa-
ctam, ipsius quoque Anani summi Pontificis san-
guine manus contaminavere, corporaque insepul-
ta abjecere. Et quia summâ turbatâ, partes ubi-
que lababant; desperatæ facies urbis, vilissimo cui-
que licentiâ faciebat in alios grassandi; Idumæis
maximè sicarijs, [quos Ioannes quidam homo fa-
ctiosissimus, & tyrannidis affectator, tanquam pa-
triæ libertatis propugnatores in urbem introduce-
rat] cædibus & rapinis cuncta misentibus. Unde
factum, ut divinis pariter ac humanis proculatis,
nec intra civitatem manere, nec foras egredi tu-
tum esset.

Inter hæc Titus admotis ad urbem machinis, tri-
plicem murum, quò Ierosolyma cingebatur, ex-

pugnavit. Cúmque jam ante obsidionem, domesticis, uti memoravi, seditionibus cellæ; quibus ad plures annos frumentum servabatur, essent incendio absumptæ; ideóque fames complures cogeret urbe excedere, & ultro se in discrimen dare, Titus ad terrorem oppidanorum, jussit ante eorum oculos suffigi crucibus, quotquot interceperat; tantó numero, spatium ut crucibus, corporibus cruce deessent. Nec dubitandum, multos ex illis patibularijs fuisse, aut ipsorum certè filios, qui ferale illud: **CRUCIFIGE, CRUCIFIGE** contra Christum imminabant.

Cæterùm Titus, ut omnia incolis arctiora redderet, undique occlusit exitum, aggeribus quinque contra urbem exstructis. Quos cum eruptione facta, dejecissent obsessi, Titus incredibili celeritate murum triginta novem stadiorum, tredecim distinctum castellis, tridui non amplius spatió, urbi circumduxit. Et quia rumor increbuerat, eos, qui ab urbe profugerent, gestare aurum in visceribus abditum, Syri & Arabes, raptó vivere assueti, qui Romanis sub Aquilis militabant, una nocte ad duo millia occiderunt, visceraque scedè scrutati sunt; mox tamen immane facinus cohibente Tito. Interim fames adeò Ierosolymam infestabat, ut calceamenta, cingula, scutorum coria, & quod foedum dictu fimus etiam, ac humanæ carnes in cibum verterentur. Constat, matronam quandam, nobili genere ortam, *Mariam* nomine, facultatibus, quas amplas possederat, per seditiosos cives everfam, supremæ necessitatis remedium petiisse é corpulento lactentis filij, sua manu jugulati. Ut jam vide-

derentur advenisse dies, à Domino, cùm ad crucem duceretur, prædicti, quando beatas prædicabat steriles; & matres jubebat, in suasmet calamitates refundere lacrimas. Josephus hæc mala deplorans, scribit, Judaicum populum à DEO rejectum & repulsum, omni salutis præclusâ viâ, præcipitem in interitum juxta scelerum suorum promerita, datum. & si Romani contra noxios venire tardassent, civitatem aut terræ hiatu absorbendam, aut diluvio mergendam, aut Sodomæ incendijs exurendam fuisse.

Et quia numinis ira scelestos urgebat, Tito sæpius ad honestam deditonem invitanti, obstinatô semper animô responderunt, ultima prius passuros, quàm Romanis se dedituros. Addebant eam ferociam quidam è tyrannis, intra urbem dominantibus; & falsorum præterea mendacia vatum, certum è cœlo auxilium pollicitantium. Titus igitur contestatur DEUM, hominésque se ad urbis & templi excidium invitum compelli; nam mortalitatis vires jam tum miseratus est, cùm urbis circumiens muros, aspexit fossas cadaveribus, & sanie tabefactis è corporibus manante plenas. Ante alias capta turris Antonia [quod ei nomen Herodes in gratiam M. Antonij Rom. Triumviri fecit] templo vicina. Acerrimè dimicatum est in eo loco; Iudæis pro sacris suis, omni virium contentione propugnantibus; Romanis pro præda & gloria pertinacissimè, quidquid roboris erat, in eam expugnationem conferentibus; cùm ecce miles quidam Romanæ militiæ gregarius, non expectatô cujusquam mandatô [quin contra edictum Titi, jubentis temperari

ab excidio templi] divino quodam motus impetu
 [ut Josephus loquitur] ignem in Sacram Basilicam
 iniicit ; cuius flamma mox invalescens, nulla valu-
 it vel Imperatoris diligentia, vel ope humana restin-
 gui. Conflagravit augustissima structura, post-
 quam à Conditore suo Salomone stetit annis mille,
 centum, triginta, mensibus septem, diebus quindecim.
 Et à tempore Cyri posterioris [cuius indulgentia ac munificentia resurrexit è busto Babylonij
 tyranni] annis sexcentis, triginta novem, & quadraginta
 quinque diebus. Cum interea Romæ [d
 rerum humanarum vices contrarias !] Capitoli-
 um bello civili nuper concrematum, sumptuosissime restitu-
 eretur, & magnificum Iovi delubrum in eo dedicaretur.
 Cum templo perierunt Sacerdotes, qui ruderibus & latebris extracti, cum vix tantum
 se dederent Tito, ejus jussu neci sunt dati. Et ne ulla facies
 calamitatis abesset, quidquid non deiecit ignis, profanavit miles
 Romanus, nam & signa militaria sunt illic posita ; & sacrificia
 idolis patrata, cum faustis acclamationibus, Titum Imperatorem
 salutantium.

Incensio templi, etiam urbis inflammandæ potestas militi facta est.
 Primò quidem pars urbis superior, quæ *Sion* dicta, longè munitissima ; deinde
 urbs reliqua, cum omnibus vasis sacris, & Pontificum ornamentis,
 clam asservatis, in manus hostium venit. In ea pervastatione,
 qui se Romanis suppliciter permiserunt, in ambitu templi conclusi,
 antequam decerneretur, quid de ijs agendum esset, ad
 duodecim millia fame consumpti sunt.

Pane

Pæne finem excedit , quod Josephus de mortuorum & captivorum numero tradit ; dum scribit , captos toto belli tempore nonagies septies mille ; ferro , fame , peste , peremptos , undecies centena millia ; convenisse Ierosolymam ad festum Pachatis diem vicies centena , & septingenta millia ; præter eos , quos ob aliquam impuritatem aut maculam , Lex à Sacris arcebat , quorum utique multitudo ingens fuerit. Additque , tunc velut in carcerem totam gentem fatò [imò , à DEO] fuisse conclusam , & vindici Romanorum gladio traditam. Eorum qui morti erepti sunt , alij ad opera missi sunt in Ægyptum ; alij , quos corporis forma commendabat , triumpho servati ; plurimi de robustioribus delecti , qui per provincias cum bestijs pugnarent in theatris. Qui verò ætatem agebant intra annum decimum septimum , unà cum sæminis , vilissimò pretiò sunt venditi , quod & deessent , qui emerent ; & anona , quæ aleret.

Postquam crudelitas non reperit ampliùs , quos occideret : aut avaritia , quod raperet ; Titus totam funditus urbem , cum templo evertit , relictis duntaxat aliqua muri parte , in quo præsidium collocaret : & tribus turribus , cæterarum fastigium excedentibus , ut scirent posteri , quid Romana virtus expugnâssset. Reliqua solo æquata , ut ne vestigium quidem superesset , illic aliquando homines coluisse.

Subactis , & excisis hunc in modum Iudæis , imperatum est , ut didrachum pro tributo quotannis templo inferri solitum , deinceps Jovi Capitolino penderent. Hoc pretium & merces impietatis fuit,

it, latronem præ Messia, cacodæmonem præ DEO, jam tum eligentis, cùm JESUM in ridicula purpura, & vulneribus conscissum in prætoriana pergula stantem spectavit, & damnavit.

Secuta Iudæorum servitus, juxta Danielis vaticinium c. 9. nunquam desitura. Exuti templo, sacrificijs, civitate, errabundi extorres, exules, vagantur per orbem [ut olim Cain, fratris occisi manibus agitatus] nusquam domi, ubique contempti ludibrium & Sanna gentium; à militiâ, magistratibus, aliisque publicis officijs apud omnes nationes repulsi, perpetuæ notam infamiæ in foetenti corpore circumferentes. Solebant verò miseri, usque ad Hieronymi tempora [mulierculæ præsertim decrepitæ, & senes pannis obsiti, corporibus & habituram DEI demonstrantes] anniversariâ Hierosolymæ excisæ luce, eum in locum confluere, & per solutõ militibus pretiõ, desendæ patriæ permissiõnem emere. *Hieronymi verba sunt in Sophon. c. 1.* Usque ad præsentem diem perfidi coloni, post interfectionem servorum, & ad extremum Flij DEI, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: & ut ruinam suæ eis flere civitatis liceat, pretio redimunt; ut, qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrimas suas. Conati sunt quidem circa annum Domini 363. favente Juliano Cæsare Apostatâ, Templum instaurare, sed flammeis globis è fundamentis, erumpentibus, & fabrilis instrumenta absumentibus, rubrisque crucibus in operarum veste fulgentibus, coacti sunt à coeptis desistere, & vel inviti trophæum crucis Christi circumferre.

Titus

Titus porrò rebus magnificè gestis , tantum ab-
 fuit ut animum de tanta victoria extolleret , ut eti-
 am oblatas à finitimis gentibus coronas recusaret, eo
 se honore indignum respondens : ut qui sciret, non
 se talium operum autorem, sed DEI iracundiam fu-
 isse, cui manus ipse suas accommodasset. Trium-
 phum tamen Romæ nobilissimum egit cum Vespasi-
 ano parente , traductis in pompa Iudæorum manu-
 bijs, & sacris spolijs ; ac Ioanne & Simone Iudaica-
 rum factionum ducibus, cum septingentis viris ele-
 ctis, robore & corporis dignitate præstantibus. Eu-
 sebius auctor est, Vespasianum post Solymæam de-
 vastationem mandasse conqueri omnes, qui ex Da-
 vidis genere prognati essent. intellexerat enim
 e Vatibus, ex ea progenie Regem exiturum, cuius
 imperium nullo fine terminaretur. Quam prædi-
 ctionem quoniam Iosephi [hujus historiae Scripto-
 ris, qui sibi à Flavio Vespasiano prænomen sumpsit]
 & aliorum assentatio in Cæsarem contulerat, infla-
 tus est is animò, ad eam æternitatem familiæ suæ ar-
 rogandam. Adeò tumens felicitas columnas in a-
 rena sibi statuit, & votorum indulgentiâ, nubibus
 arces inædificat ; sed quæ difflantur, eo, qui natu-
 ræ debetur ultimus, spiritu. Habet hoc adulatio-
 nis genius ; in spes & iras grandes, impellit princi-
 pum etiam bonorum indolem. Certè Vespasiani,
 quas in aditu, Imperij modestia collegit laudes, ad
 extremum Ambitio effudit. Felicior Titus Filius,
 qui ob insitam benignitatem & morum facilitatem,
 humani generis *Delicium* audijt ; recordatus aliquan-
 do super cœnam, quòd eum diem beneficio cui-
 quam

quam præstito vacuum transmississet, ingemuit, & memorandam illam vocem edidit: *Amici, diem perdidisti.*

Judæi, quia vitæ Auctorem neci dederunt, non diem tantum, sed annos, ætates, æternitatem perdiderunt, *eo quod non recognoverint tempus Visitationis sue.* id quod Christus Luc. 19. eis dolenter exprobrat. Poterant illi præcavere jacula, quia prævisa, & ab illo prædicta, qui non tam verbis, quam factis mirabilibus, & omnem humanam virtutem superantibus, fidem sibi conciliare debuit. Sed o quoties nos DEus visitat, & adventus sui prænuntios morbos, angores, angustias, contemptus, molestias, afflictationes, obtreccionem, calumnias, calamitates publicas, privatasque, bella, famem, pestem, inundationes, naufragia, incendia, & omnium malorum cumulum præmittit! nos tamen cæciores calpâ, surdiores littore, cervice intractabili, & Iudæorum in morem induratâ, misericordiam DEI repellimus, Visitationem ejus non agnoscimus, atque in voluntarium exitium, scelerum super nos incumbentium pondere degravati præcipitamus: O ter quaterque felices, qui juxta monitum regij Prophetae, *si vocem DEI audierint, non obdurant corda sua.* psal. 94. qui parati sunt Visitantem excipere, & rigidum Iustitiæ gladium tempestivis lacrimis emollire. Infelicissimi! quibus Vindex mucro superveniet improvisus, & sub unum temporis punctum sentire coget, quod æternum sentient. Habent, quod sibi timeant urbes, regna, provinciæ, & singuli quique hōines, flagitijs excæcati, & exfurdati. Quod Christus minitatus est Iudæis id omnibus Iudæorū similibus in-

terminatur. Quia si cognovisses & tu, & quidē in hac die tuas,
 que ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.
 Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo:
 & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad ter-
 ram prosternent te & filios tuos, qui in te sunt: Et non relinquent
 in te lapidē super lapidē, eò quòd nō cognoveris tempus visitatio-
 nis tuæ. Luc. 19. Ierosolyma, civitas illa sancta, Ci-
 vitas visionis & pacis, sedes Davidis ac successorum
 regum, Patriarcharum & Prophetarum patria, legis
 divinæ Sacrarium, Religionis propugnaculum, e-
 lecti DEO populi habitaculum, ocellus Palæstinæ,
 decus universæ terræ, domina gentium, felicitatis
 & gloriæ domicilium, sacratissimi templi sinus, ip-
 sius DEI regia, in lapidum redacta est cumulum &
 miserabile bustum. Paria formida, quisquis paria
 peccas. Dies pacis est tempus vitæ, misericordiæ,
 gratiæ; quam diem si sceleribus foedaveris, veniet
 dies ultionis & iræ; Præcessit Visitatio Clementiæ,
 succedet Justitiæ. In tempore illo [DEus apud So-
 phoniam minatur c. 1.] *Scrutabor Ierusalem in lucernis,
 & visitabo super viros defixos in scæcibus suis.* Pessimè pe-
 rijt, quem Visitor hic in sceleribus immersum &
 defixum invenerit. Seri gemitus, cùm lapis ruet
 super lapidem, quando solventur compages cor-
 poris, & conteretur hydria super fontem Eccl. 12. cùm
 peccatorem doloribus circumdatum, & circumval-
 latum coangustabunt undique scelerum furia, con-
 scientiæ terrores, minæ, tormenta. Parùm est
 Christianum fuisse, nisi Christianè vixeris, Sic jam
 olim Hæbræi apud Ieremiam cap. 7. securitatem à
 Chaldæo hoste falsò sibi promittebant, eâ solâ spe
 freti, quòd apud ipsos sacerrimum DEI templum
 esset.

efflet. Hinc præfidenter ingeminabant sæpius illud:
Templum Domini, Templum Domini est: Sed quid DEUS?
Nolite confidere in verbis mendacij: Quoniam si bene dixeritis vias vestras, & studia vestra; habitabo vobiscum in loco isto. Hoc quilibet sibi dictum putet, ac cum metu & tremore salutem suam operetur. Philipp. 2. *dum tempus est acceptabile, dum dies sunt salutis.* 2. Corinth. 6. sed prò dolor! multis accidit, quod Hannibali quondam, Pœnorum Duci, qui post Cannensem victoriam, neglectâ capiendæ Romæ occasione, cum rediens ad obsidionem, repelleretur imbrum ac ventorum violentiâ, dixisse fertur: *Cùm potui, nolui; cùm volui, non potui.*

Atque hîc finis esto Narrationum, è Testam. V. historia selectarum: in quibus vitiorum omnium & virtutum exempla proposita habemus. Labori nostro pretium is fecerit maximum, qui melioribus ductus, pejoribus declinatis, vestigia legerit præcedentium *in via mandatorum DEI* psal. 118.

*Ad DEI ter Opt. Max. Gloriam,
 & Legentium emolumentum.*

*Omnia hæc S. Ecclesiæ iudicio subiecta
 funto.*

